

63 + 49

5

ORDINIS ICTORVM
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI

1720

46 46

H. T.

DECANVS
GEBH. CHRISTIANVS
BASTINELLERVS

D. ET DIGESTI VETERIS PROF. PVBL.
CVRIAE ITEM ELECTORALIS PROVINC.
AC SCABINATVS ASSESSOR
LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

Co
cod. de spectat. .grae.

St



63 + 49

ORDINIS LECTORVM
IN
ACADEMIA VITENBERGENSI
DECANVS
GEBH. CHRISTIANVS
BASTIENELLERVS
D. ET DIGESTI VETERIS TRON. PUBL.
CIVIS ITEM LECTORIS PROVINC.
AC SCANNATVS ASSessor
LECTORI BENEVOLO

2. P. D.

1675
1675
1675





46

Ludis ac spectaculis
Graecos, Romanos-
que, admodum dele-
ctatos fuisse, iis, qui
harum ciuitatum anti-
quitates uel leuiter at-
tigerunt, ignotum atque obscurum esse
nequit. Inter causas uero, quibus ad
uoluptatem illam se adduci passus est
uterque populus, primo loco ponenda
uidetur esse illa, quod, Deorum iram
ludis placari, sibi persuaserunt. Omnes,
eosque uarii generis, ludos commemo-
rare, nec uacat, nec per institutum li-
cet. Hoc tamen silentio praeterire
nefas duco, tantum abfuisse, ut usitata
) (2 ista



ista ac peruulgata tunc temporis ludendi libido omnibus omnino probari potuerit, ut potius multi, re accuratius cogitata peruestigataque, multam in ludis ac theatris uanitatem, multamque impietatem perinde, ac prisca Christiani, fuerint detestati. Exempli causa M. T. CICERONEM & C. PLINIUM *secundum*, seculorum suorum decora, nominare sufficiet. ILLE *L. VII. ep. 1.* non modo ingenue profitetur, ludos uulgi tantum atque turbae admirationem habere, uiris autem bonis et sapientibus nullam afferre delectationem, immo in ludis operam & oleum perdi, uerum etiam laudat uehementer, et laetatur, M. Marium, cum per ualitudinem potuisset, ad ludos tamen uenire noluisse, adeoque ea, quae ceteri sine causa mirentur, contempsisse ac neglexisse. HIC autem *L. IX. Ep. 6.* inquit, *Miror, tot millia uirorum tam pueriliter identidem cupere currentes equos, insipientes curribus homines, uidere. Si tamen aut uelocitate, aut hominum arte, trabe-*

traberentur, esset ratio nonnulla: nunc
fauent panno, pannum amant, &c. Pan-
nus agitatorum, siue aurigantium, tu-
nica erat, ex panno certi coloris, *uiri-
dis, coccini, albi, caerulei*, confecta, quo
in quatuor factiones, qui ludis Circen-
sibus palmam quaerebant, diuidebantur.
Factiones ab his quatuor coloribus, ui-
renti *ueri*, flammeae *aestati*, pruinoso
autumno, nubilaeque *hiemi* dicatis, no-
mina accipiebant *Prasinae, Russatae,
Albae, Venetae*, ut Naturae mysteria,
quatuor inquam anni tempora, quatuor
his distincta coloribus, spectaculorum
composita imaginatione, luderentur.
Hac igitur ratione contrariis populi stu-
diis diuisis, mordicus saepe de fauore,
gloria, ac uita factionum inter se decer-
tabant. Sic Vitellius factioni *Venetae*
ita addictus erat, ut ei semper faueret,
& Caligula Aug. *Prasinae* factioni adeo
deditus perhibetur, ut coenaret in sta-
bulo assidue, & maneret. Deinde Do-
mitianus Aug. duas *aurati, purpureique,
panni* factiones quatuor pristinis adiun-
xit.

46



xit. Ac D. Justiniani temporibus hae
factiones adhuc Constantinopoli fue-
runt, quid, quod iisdem temporibus ex
Prasinae & Venetae factionum conten-
tione tanta Byzantii seditio exorta legi-
tur, ut quadraginta fere hominum mil-
lia sint trucidata: post quam demum
cladem nomina factionum abolita esse,
ajunt. Nempe tanto Circensia, aliaue
eius generis, certamina spectandi stu-
dio ac uoluptate tenebatur populus
Romanus, ut inueteratus hic mos, tam
in urbe, quam in prouinciis, multa per
secula constanter seruatus, aegre a Chri-
stianis etiam Imperatoribus tolli potue-
rit, conf. l. i. 2. 3. 4. 5. C. de spectac. &
scen. l. un. C. de gladiat. penit. toll. l. un. C.
de Majuma. At enim uero Graeco-
rum, Romanorumque, ludorum alii *sa-*
cri, alii *uotiu*, alii *funebres*, aliique *lu-*
dicri erant. *Sacri* in honorem Deo-
rum, quos pro sua colebant religione,
edebantur: *uotiu* ex uoto amicorum
pro uictoriis, bona ualetudine, &c. fie-
bant: *funebres* in honorem defuncto-
rum

rum exhibebantur: denique *ludicri* au-
diebant, qui exercitationis causa insti-
tuti. Nunc quaero, quam ex causa
anniuersaria ista solemnitas, quam uul-
go *Carnaua* uocant, inter Christianos
passim peragatur. Ego quidem, saluo
rectius sentientium iudicio, nullam hic
subesse uideo causam, quae speciem ju-
sti, decori, utilis, prae se ferat. Ro-
manorum spectacula, quantumuis cru-
enta, omni prorsus fundamento non
destituebantur, cum iuuentus caedium,
fanguinis, et uulnerum aspectu assue-
sceret in bello minus ista timere, atque
ad bellicam fortitudinem animaretur.
Parum quoque uel nihil detrimenti Ro-
mana capiebat Respublica, hominibus
noxiiis, & perditis, aut damnatis, ad
eiusmodi spectacula adhibitis. Contra
ea in personatorum bachanalibus, *Car-
naual* dictis, ubi pudicis audacia, impu-
dicis autem stultitiae incrementum
praestatur, et modus fere omnibus in
rebus, edendo, bibendo, ludendo, sal-
tando, &c. exceditur, uel saltem ex ce-
dendi,

46



dendi, omnibusque uitis et flagitiis se
inquinandi, campus longe lateque
omnibus iis patet, qui capite & cor-
pore personati incedunt, nihil quic-
quam honestatis, nihilque iustitiae, in-
esse intelligitur. Christianos decet,
omnem reprehensionis notam & sini-
stram uitare suspicionem: multo magis
itaque decebit eos, a personarum insa-
nia abhorrere, nec ridiculis personato-
rum tumultibus interesse. Sed, proh
dolor! iidem, qui Christi nomen profi-
tentur, eo dementiae abripiuntur, ut,
persona uestituque commentitio induti,
turpiter se dent, & bachanalia, ac per-
sonatas pompas, profanarum gentium
ludis deteriores, celebrare, haud eru-
bescant. Quod si CIGERONI & PLI-
NIO, supra collaudatis, personas, usu
apud nos receptas, aspectare liceret, an-
non futurum esset, ut harum intuitu
magis perturbarentur, quam uanita-
tem ludorum sui temporis riserunt: an-
non ualde miraturi, tantam gratiam,
tantamque auctoritatem esse in uilissima
qua-

46

quadam persona: annon grauer con-
questuri essent, quosdam graues etiam
uiros in re tam inani, frigida, otiosa, tam
assidue, tamque insatiabili studio, desi-
dere: annon multum uoluptatis capturi
essent, siquidem, hac se uoluptate non
capi, sentirent. Ita aliquando ex profa-
nis gentibus multi homines maximam
personatorum Christianorum uanitatem
atque impietatem coram tribunali
Christi accusabunt, & grauius omnino
de his, quam de illis, sumetur suppli-
cium. Satis uero multa hoc de argu-
mento dixi, quod Clarissimi Candidati
nostri, JOANNIS CHRISTIANI
NOHRI, auspicalis occupauit dispu-
tatio. Reliquum est, ut commemore-
mus ea, quae ad eius uitam, studio-
rumque rationem, pertinent. Natus
est Nobilissimus Candidatus *d. 14 ante*
Cal. Mart. A. R. S. MDCC Longosa-
lissae Thuringorum, patre T O B I A
H E N R I C O N O H R O, ciue hone-
stissimo, matre M A R T H A C A T H A-
R I N A G V T B I R I A, probatissimi
) () (moris

moris foemina. Superatis primae infantiae annis, uirtutis rationes mente animoque est complexus, parentumque exempla securus, ad ingenuae pietatis, morumque, decus recta uia contendit. Postea uero quam priuata institutione per tempus esset usus, rudimentaue posuisset, ex instituto bonas literas coluit sedulo atque tractauit. Quod cum minime fugeret prudentem ingeniorum aestimatorem, M. CHRISTIANVM MICHAELEM FISCHBECKIUM, eo tempore rem scholasticam Longosalissae regentem, nunc autem in illustri Gymnasio Gothano bonas literas scientiasque docentem, in publice docentium disciplinam eum adsciuit, recteque a Collegis, GVNTHERO, OLPPIO, & KEVLINGIO praeparatum, inter suos retulit, in aedes quoque suas receptum mensae adhibuit, uitaeque ac studiorum rationis auctor ei extitit, atque moderator. Exinde materiam ulterius proficiendi quaesuit, eamque
in

in illustri, quod *Leucopetrae* floret,
Augusteo est nactus. Vbi D. WEID-
LINGIO, Examen Institutionum Hop-
pii & Roeseri Institutiones Moral. ex-
plicanti, se adiunxit, GVTBIRIO
etiam, linguarum ibidem publico do-
ctori, auunculo suo uenerando, con-
stanter adhaesit, neque in eo colendo
partibus suis defuit unquam. Aderat
nunc tempus, quo in Academicam
lucem emitteretur Noster, hinc ad
includam Academiam, quae *Jenae*
apud Salam floret, A. MDCCXVI.
contendit primum, inque iuris scien-
tia Celeberrimos Antecessores, FRI-
SIVM & BRVCKNERVM est se-
cutus, cum quibus tamen BRAVNII
atque DRESSELI, exercitatissimo-
rum Juris Doctorum, scholas coniun-
xit. Publici quoque Juris doctrinam a
Praeclarissimo STRVUIO, Syntagma
suum tum explicante, hausit. Deinde
Vitembergae inuisendae cupiditate in-
citus, A. MDCCXVII. huc uenit,
inter maxima commoda referens,
-100) (2 quod

46



quod *Diuum* HORNIVM, Coruini
ius Canonicum explicantem, liceret
audire. Quae uero spes obitu Viri,
apud nos nunquam intermorituri,
mox decollauit, donec sub Magnifico
atque Excellentissimo Successore,
WERNHERO, Ordinis sui grauissi-
mo Praefide, eandem absoluendi ope-
ram nancisceretur occasionem. Judi-
ciarii uero Processus, cuius principia
Excellentissimus GRIBNERVS tra-
didit, pariter ac SCHOEPFFERI
Synopsis Juris priuati, praeeunte dex-
terrimum Doctore KRAVSIO, felici-
ter absoluit. Tali modo rebus suis
apud nos confectis, quicquid temporis
in Academiis transigendi supererat,
Lipsiae consecrauit, quodque in peri-
tia causas in foro agendi sibi deesse
uidebatur, id omne ductu Peritissimi
SCHACHERI, ordinarium Processum
Saxonicum explicantis, non minus ac
Venerandi PHILIPPI, multa fauo-
ris significatione sibi commendati, usu
industriaque perfecit. Quibus spatiis
con-

46

confectis, ad metam tandem contendit, quam ut felicissime consequeretur, apud Ordinem nostrum Candidati nomen est professus. Cuius cum iam confectas habeat rationes, Licentiamque summos in utroque Jure honores, priuilegia, atque insignia capessendi impetrarit, restat, ut publico eruditionis, in uariis Academiis partae, specimine gradum eum sibi uindict, ac tueatur. Quare futuro die Jouis, Deo uolente, Disputationem Inauguralem de *Jure Personarum, quas uul-
gus Laruas, seu Mascheras, dicitur, in anniuersaria carnispriuii, quod CAR-
NAVAL uocatur, solemnitate, Praefi-
de Viro Excellentissimo Consultissi-
moque, DN. CHRISTOPHORO HEN-
RICO de BERGER, Comite Palatino
Caesareo, Institutionum Professore Pu-
blico, & Dicasteriorum Juridicorum,
quae hic florent, itemque Judicii Pro-
uincialis in Marchionatu Inferioris Lu-
sariae Assessore, publicae eruditorum
disquisitioni proponet.* Quem actum

) (3 sole

solemnem, ut Comites Illustrissimi,
Proceres Academiae, omnesque, qui
studiorum causa apud nos degunt,
praesentia sua ornare ne graentur,
maiolem in modum rogo atque con-
tendo. Ordo noster pro isto fauoris
officiique genere, data occasione, me-
ritam gratiam memori mente persoluet

P. P. Vitembergae *Prid. Cal. April.*

A. R. S. MDIOCCXX.

VITEMBERGAE,
LITERIS VIDVAE GERDESIAE.





Wittenberg, Diss., 1720



f
sb.







63 + 49

5

ORDINIS JCTORVM
IN
ACADEMIA VITEMBERGENSI
H. T.
DECANVS
GEBH. CHRISTIANVS
BASTINELLERVS
D. ET DIGESTI VETERIS PROF. PVBL.
CVRIAE ITEM ELECTORALIS PROVINC.
AC SCABINATVS ASSESSOR
LECTORI BENEVOLO
S. P. D.

1720
46
46

*de
Cod. de spectat. grec.*

St

